



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

X. Instructio pro Visitoribus Catholicis per Io. Cochlaeum scripta
Moguntiae ad S. Victorem die 27. septemb. Anno. 1532.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

MISCELLANEO
RVM LIBRI SECUNDI
Tractatus Decimus.

INSTRUCTIO PRO VISITATORI
bus Catholicis per Io. Cochlaeum Inter
rogatoria Pastorum.



DE Doctrina & fide, quid credant ac doceant, circa Symbolum Apostolorum, circa Crationes circa X. praecepta, circa >. Sacramenta, circa Ecclesiae Ceremonias, Circa conciones publicas.

Circa Symbolum, si doceant ac credant Tres personas unius & eiusdem simplicissime essentiae & equalis Maiestatis, in Trinitate indiuidua esse, licet haec uerba in scripturis non sint expressa. Secundo. In Christo esse duas naturas in una persona diuina, non confusas nec commixtas, sed inseparabiliter unitas, licet & ista uerba non sint in scripturis prolata. Tertio. Matrem Christi Mariam esse Dei genitricem, & perpetuam uirginem ante & post partum atque etiam in partu, quamuis & ista non sint in sacris literis expressa. Quarto. Christum pro nobis uere passum, crucifixum, mortuum, sepultum, ad inferos descendisse & ex mortuis resurrexisse, in coelum ascendisse ibique sedere ad dexteram patris & inde uenturum esse ut iudicet uiuos et mortuos. Quinto. Sanctam Ecclesiam Catholicam sanctos

Sex articuli
de fide in
Symbolo.

Instructio Io. Coc.

sanctorum communionem, extra quam neque vera fides spes & charitas neque salus animæ sperari debeat neque remissio peccatorum, Sexto. Omnes homines in die iudicii resurrecturos à mortuis, et ituros alios in uitā, alios in poenā eternā.

Ex his infertur, primo damnandas omnes hereses ueteres & nouas contra Trinitatem exortas, In quibus & Lutheri error compræhenditur, qui nihil recipit nisi in scripturis sit expressum, unde & Homouision reijcit. Secundo damnantur Nestoriani & Entichiani atque Acephali ueteres, & noui Anabaptistæ, qui errant circa duas naturas in Christo, quorum aliqui dicunt Christum non natura Deum esse, sed gratia tantum, & prophetam fuisse potiusquàm Deum, aliqui grauissime blasphemant eum in cruce perdidisse charitatem ac desperasse, qualia & in Melanchthonis quibusdā scriptis reperiuntur, Tertio damnantur Heluidiani ueteres & noui, qui dicunt Matrem Christi plures peperisse filios, sicut sonare uidentur quedam scripturæ loca de fratribus lesu. Quarto. Damnantur Manichæi & alij qui negant Christum in uera carne humana passum resurrexisse & in coelos ascendisse, eo quod Paulus dicit Christum formam serui accepisse & habitu inuentum ut hominem. Quinto. Damnantur Donatistæ ac omnes hæretici, qui seperant se à generali Ecclesia, & asserunt solum in parte sua ueram esse Ecclesiam, quod & Lutherani nunc faciunt, contra manifestam scripturam Psalm. 2. Postula à me &c. Et Psalm. 18. In omnem terram &c. Et damnantur omnes illi, non solum propter hæresim, sed etiam propter schisma, quia diuidunt inconsutilem tunicam domini, iam non habent ueram fidem nec charitatem nec remissionem peccatorum, quia extra Ecclesiam nihil horum est nec spiritus sanctus, ut patet ex Cypri. de simp. prælatorum, Sexto. Damnantur omnes illi qui negant

Hæresum
damnatio.
Luth. de ab
rog. missa &
contra La
tomum.

Phil. Mel. in
Annotatio
nibus Mat.
c. xi.
Marth. 12.
15.
Act. 1.
Phil. 2.

Phil. in Apo
logia.

gant carnis resurrectionem, immortalitatē animæ, Infernū
& aliam uitam post mortem.

Circa orationes, Primo qua expositione utantur in Ora-
tione dominica, quia noui Catechismi æditi sunt per quos
seducit̄ populus, ut edū est igit̄ expositione Cypriani, Chry-
sostomi, Aug. &c. & forma cōsuetā, secundo an & saluatio-
ne angelica utantur tū priuatim quotidie mane et uespere et
in precibus suis tū publice ad populū in cōcionibus, ut petāt
dici non solum pater noster sed etiam Aue Maria, more cō-
sueto, quia noui heretici id nolūt facere. Tertio, An quōtidie le-
gant horas Canonicas secundū Rubricā Diocesis, Nam &
has nostri hæretici omittunt ac uilipendunt, Et putant se
ad eas non obligari quia sint inuentum hominum & contri-
tutio humana. Contra quos innumera sunt & scripturarum
loca & sanctorū exempla, pro Canonicis horis diligenter &
integre obseruandis. Quarto, An salue Regina & Regina
cœli seruent & canant more antiquo. Nunc enim hæretici
quædā in ijs mutāt, dicētes Salue rex Iesu Misericordiæ, Ad-
uocate noster &c. tanquā non recte conueniant Mariæ ista
cantica, quos reprehendit S. Bernhardus et tota Ecclesia, quia
est uetus error Leonistarū, Pighardorū, Vuiclephistarū &c.

Circa X. præcepta, primo an recitent ea populo more an-
tiquo, non secundū Catechismos nouos, In quibus & ordo
& expositio uariatur, Secundo an examinent in ijs pueros
confitentes ut recitent, Tertio an doceant adultos ex ijs colli-
gere & memorare sua peccata, Quarto, an propter ea calum-
nientur & contemnant præcepta Ecclesiæ & cōstitutiones
Pontificum & Conciliorum tanquam inuenta hominum,
ut faciunt omnes hæretici noui, Contra scripturam, dicen-
tem. Quæ dicunt facite, Itē, Qui uos audit, me audit, Item,

Quatuor ar-
ticuli circa
Orationes.

Psal. 119.
Art. 3.

Quinq; pun-
cti circa X.
præcepta.

Matth. 23.
Luc. 10.
Matth. 10.

LI Non

Instructio Ioan. Cochläi

Luth. in ser. Quousque Moyses legē dus sit. Matth. 19. Luc. 10. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, &c. Quinto, An forte cum Luthero alicubi negent nos X. præceptis obligari quia à Moysē tradita sint, Moyses autem nos non obliget. Hoc autem est contra omnes Ecclesiæ Doctores & contra scripturam, dicentem, si uis in uitam ingredi, serua mandata. Item hoc fac & uiues, &c.

6. Puncta circa Baptismū Luth. in asser. art. 1. 1. Pet. 3. Phil. Mel. in locis cōmu.

Circa VII. sacramenta, Primum sane circa Baptismū. Primo, An pueris infantulis p̄sit baptismus qui nihil intelligunt aut credunt dum baptizantur, Decepti enim sunt per Lutherū Anabaptistę, dicentē, quod sacramenta nouę legis nō dant gratiā, & quod baptismus non saluet, sed fides sola, &c. Contra illud Petri. Quod & uos nunc similis formę factuos facit baptismus. Secundo, Anabaptismum reiterare liceat, Nam Lutherani uolūt baptismum nihil aliud esse quā pœnitentiā quæ utiq; reiteratur. Tertio, An utantur forma consueta dū baptizant in exorcismo & in unctiōe Christi matis, Noui enim hæretici hæc reiiciunt. Quarto, An benedicant fontē baptismi more solito, quod hæretici omittunt & irrident, utentes aqua cōmuni, baptizantes in pelui absq; necessitate. Quinto, An baptismus pueros emundet à peccato Originali & adultos ab omni peccato. Nam id negant noui hæretici, quorum alij negant peccatum Originale, alij negant per baptismum tolli. Sexto, An doceant de baptismo populum secundum nouos Catechismos & secundū uisitacionum formulas nouos, ubi multa traduntur falsa & erronea.

Luth. in asser. art. 2.

7. Puncta.

Circa Eucharistiā. Primo, An cōmunicēt populū aut alios quos sub utraq; specie, aut doceāt, melius esse sub utraq; quā sub altera communicare, sicut contendunt post Bohemos Lutherani, contra Conciliorū determinaciones. Secundo, An doceant sub una specie uere & substantialiter adesse corpus et

pus & sanguinem Christi, eius item animā & deitatem per concomitantiam, quā noui hæretici irrident. Tertio, An doceant, substantiā panis & uini uere cōverti & transubstantiari in corpus & sanguinem Christi per uerba consecrationis, ut postea non sit ibi substantia panis aut uini, sed solum accidentia eorū, quod negant Lutherani, contra illud Christi, Hoc est corpus meum. Quarto, An doceant populum communicare tempore paschali iuxta c. Omnis utriusq; sexus extra de pen. & re. Hoc enim Lutherani contemnunt & in despectum eius nolunt eo tempore communicare contra illud 1. Regum .15. Melior est obedientia quam uictima. Quinto, An doceant nihil referre leiuno sumatur stomacho an post cibum, an debite quis confessus sit necne, sicut docent & faciunt noui hæretici. Sexto, An doceant Missam esse uerum & reale sacrificium, cuius oblatio proficit uiuis & defunctis, quod negant noui hæretici. Septimo, An obseruent utrunq; Canonem Missæ, Accessum item & Recessum altaris more consueto, quod non faciunt hæretici. Octauo, Quid sentiant de libris Lutheri et aliorum de abroganda missa, cum sint pessimi & impiissimi.

Circa Confirmationem. Primo, An sit speciale sacramentum, sicut Baptismus & Eucharistia. Nam hoc negant hæretici nostri. Secundo, An conferat gratiam rite summentibus. Tertio, An à quolibet sacerdote possit administrari, cum reuera à solis detur Episcopis, Lutherani non sacramentum sed Ceremoniam ex eo faciunt quod est erroneum, contra totam Ecclesiam & uetustissimos eius doctores Dionysium Areopagitam & Melchiadem Papam & Act. 8. & 17. martyrem, etc. et contra tot scripturæ loca de impositione manuum post baptismum facta.

LI 2 Circa

Instructio Ioan. Cochlaei.

4. Puncta.

Circa sacros Ordines, Primo, An ordo sacer sit speciale sacramentum, quod negant Lutherani et alij hæretici noui. Secundo an conferat gratiam & imprimat characterem indelibilem, sicut testatur S. Augustinus lib. 2. contra Parmenianum & Decretum 1. q. 1. in multis c. Et hoc negant & irrident Pighardi antiqui & noui. Tertio, An Laicus per baptismum æque bene sit sacerdos sicut presbyter aut Episcopus rite ordinatus, sicut uult Lutherus cum suis. Quod est contra totam Ecclesiam & contra Paulum in plerisque locis. Quarto an Laicus aut Clericus minor, aut etiam Diaconus possit conficere Eucharistiam & missam celebrare, ut putant hæretici, contra sacratissimum Concilium Nicenū, & contra antiquissimas Canones Apostolorum & martyrum.

Luth. ad nobilitatē Germaniæ.
1. Theff. 5.
1. Timo. 5.

5. Puncta.

Circa pœnitentiam. Primo, An sit speciale sacramentum à baptismo & alijs distinctum, quod negant heretici. Secundo, An rite suscepta conferat gratiam, quod itidem negant hæretici. Tertio, An habeat tres partes integrales & necessarias, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, Et hoc negant heretici. Quarto, An Confessio auricularis que fit sacerdoti per recitationem singulorum (quantum possibile est) peccatorum, sit necessaria ad remissionem peccatorum, si sacerdos haberi queat cui fiat loco Dei. Iuxta illud Iohannis uicesimo. Quorum remisistis &c. Quinto, An satisfactio pœnalis, quæ pro peccatis iniungitur, sit peccatori necessaria, Cum hæretici dicant, Christum pro omnibus peccatis satisfacisse, nihil esse satisfactionē nostram contra Cyprianum & antiquissimos Canones.

Phil. in locis cōmunibus.
Luth. in alfer. art. 1.

4. Puncta.

Circa extremam unctionē. Primo, An sit speciale sacramentum. Secundo, An conferat gratiam rite sumentibus. Tertio, An obseruent in eorum antiquum in unguendo, in precibus, & in sanctorum inuocatione. Quarto, Quid sentiant

sentiant de hæreticorum dictis & factis contra Sacrum illud oleum quod in hunc usum ab Episcopo consecratur.

Circa Matrimonium. Primo. An sit speciale sacramentum, quod negant hæretici, duo tantum ponentes Baptis-
mum & Eucharistiam. Secundo. An conferat gratiam rite contrahentibus, Est enim Sacramentum sacræ rei signum, Et hoc Sacramentum magnum est in Christo & Ecclesia ut ait Apostolus. Tertio. An sit per adulterium ita separabile, ut liceat alteri nubere, priore adhuc uiuo? Quarto. An liceat præbiteris Monachis & Monialibus matrimonium contrahere. Quinto. An liceat absq; dispensatione in gradibus prohibitis contrahere. Sexto, an liceat marito aliã ducere uxorem si uxor sua aufugiat aut aliq; adhæreat? Reuera nihil horum licet iuxta statuta Ecclesiæ, sed hæc omnia contemnunt hæretici. Et tantum de septem sacramentis:

Circa Ceremonias Ecclesiæ. Primo. An obseruent ritus antiquos in administratione sacramentorum, quia novos excogitant hæretici, hoc est, an baptizent, cõmunicent, celebrent, ungant, copulent matrimonia more antiquo, Qui enim in ihs Ecclesiam non audit, est sicut Ethnicus & publicanus habendus. Secundo. An dominicis diebus benedicant aquam & sal, ac in circuitu populum aspergant, ac benedicto sale uti doceant & benedicta aqua more maiorum, hæc enim irrident heretici, contra Paulum 1. Timo. 4. quia sanctificantur per uerbum dei & orationem. Tertio. An benedicant more antiquo nuptias in publico, & herbas in festo Assumptionis Mariæ, cereos in festo purificationis, carnes & oua in paschate, Nam & illa sanctificantur uerbo Dei & oratione, licet impie contemnantur ab hereticis. Quarto. An utantur consuetis Ceremonijs in Ecclesia coram populo diebus festis & dominicis thurificando, cantando, cele-

VI. Puncta
Luth. Inca.
Babylo.
Ephc. 5.

VIII. Puncta
Math. 18.

Instructio Io. Coc.

brando, predicando, Quarum multas non observant heretici in Ecclesiae respectu, quod est gravissimum peccatum velut Idolatria 1. Reg. 15. Quinto. An patiantur ab edilibus minui expensas pristinas, quae impendi solent in cereos, in oleum lampadum, in ornatum Ecclesiae, in vestes sacras lauandas & resartendas, in mundanda templa et altaria, Quae omnia heretici tanquam inutilia contemnunt, sub pretextu isto, ut melius expendantur in usum et sustentationem pauperum. Ait autem dominus, Haec oportuit facere, et illa non omittere, Maiores ergo nostri utrumque laudabiliter fecerint, et minus depauperati fuerunt quam nos. Sexto. An observent ritus pristinos in dedicationibus & processionibus annuis quae fiunt in diebus rogationum & in Letanijs Quadragesimae ubi nominatim invocant sancti, Haec, n. heretici aut omittunt aut mutant. Septimo. An servent ritus veteres in sepulchris, exequijs et anniversarijs defunctorum. Nam et ibi contra vetustissimum Ecclesiae morem multa abolent aut innovant heretici temeritate propria absque omni autoritate & ratione. Octavo. An patiantur minui consuetos Ecclesiarum proventus in decimis et oblationibus alijsque accidentalibus obventionibus, quarum subtractione depauperatur Parochiae, ut pastores non possint alere amplius Capellanos et predicatores sicut prius. Heretici enim in odium Cleri ut fauorem populi sibi conciliarent, illas omittunt & dandas esse negant.

Matth. 23.

VI. Puncta.

Circa Conciones publicas. Primo. An predicent singulis dominicis et diebus festis more antiquo absque innovatione temporis aut modi. Heretici, n. omissis missarum celebrationibus tantum predicant, & aliter quam prius procedunt in sermone, quodam omittunt Evangelium de die & legunt ex libro partem alterius Evangelij quod ex ordine predicant, ut sint, Catholicis per omnia contrarium studio innovationum. Secundo. Quibus

bus utantur libris & expositionibus pleriq. n. nunc predicant
 ex post illis Lutheri, ex Pomerani et aliorum hæreticorū, ex
 positionibus, ex uisitacione Lutheranorū etc. Hi omnes de
 facto sunt ex cōmunicati iuxta Bullam Leonis PP. X. et in
 digent absolutione Papali. Vtilius ergo legent Postillas D.
 Eckij, Centurias D. Nausee, Homilias patrū, sermones Au-
 gustini & Bernardi etc. unde non seducaſ populus nec con-
 citetur ad rebellionem et seditionem sicut fit per libros herē-
 ticorum. Tertio. An doceant uenerationē & Inuocationem
 sanctorū et annunciet eorū festa hebdomadatim more antiq̄
 Multi. n. nunc ea omittunt et dissimulant, multi etiam palā
 reprehendunt. Cōtra illud Christi, Qui uos spernit, me sper-
 nit. Et Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti
 accipiet. Quarto. An pronuncient dies exequiarum & dies
 anniuersarios pro defunctis, ac petāt pro eis orationes à pos-
 pulo fieri more antiquo, Hoc enim omittunt & contems-
 nunt hæretici. Contra legem charitatis, quæ iubet orare pro
 inuicem, & membra commembris suis compati 1. Cor. 12.
 & 13. Quinto. Quid doceant de bonis operibus, de sola sis-
 de, de gratia dei, de lib. arbitrio & de predestinatione Dei.
 In his enim multi sunt hodie errores & scandala hæreticos
 rum, quæ uitari debēt, & ad populum uel taceri penitus uel
 reprobati funditus. Sexto. Quid doceant & seruēt de Qua-
 dragesima & alijs Ieiunijs, de esu carniū sextis ferijs &c.
 An eiusmodi transgressiones ligent consciētiam & sint ue-
 re peccata, quod negant hæretici & contemnunt uelut
 statuta humana. ¶ De uita & conuersatione, Primo.
 An legant quotidie horas Cannonicas, & peragant diuina
 officia more consueto iuxta fundaciones approbatas,
 Nam nihil horum faciunt hæretici, contra legem iusti-
 tiæ & contra obediētiam Ecclesiæ. Secundo. Quo
 utantur

Luc. 10.
 Matth. 10.
 Iac. 5.

V. Puncta.

Instructio Io. Coc.

Geantur uestitu, Hæretici enim in contemptum Cleri utuntur
 tur plarumq; breuibus tunicis & pileis uelut laici, nec deses-
 runt rasuram coronæ in capite, nec utuntur suppellicijs in
 contione, ut laicorum fauorem per hoc sibi aucupent. Con-
 tra uenerandos Canones Pontificum & Conciliorum, quib-
 bus repugnare quasi peccatum ariolandi est & quasi scelus
 Idolatriæ nolle acquiescere 1. Reg. 15. Tertio. Cum quibus
 cõuersentur in publico. Hæretici enim ut Clerum plebi des-
 spectum reddant, per omnia laicis assimilari uolentes, con-
 sociant se illi in tabernis publicis, confabulâtes ibi odiosa des-
 tractione de Episcoporum Canonicorum et Monachorum
 excessibus, negligentijs, opibus, comessationibus, libidini-
 bus &c. Contra illud Christi, Nolite iudicare & non iudis-
 cabimini, nolite condemnare & non condemnabimini. Et
 contra illud Pauli. Tu quis es qui iudices alienum seruum?
 Domino suo stat aut cadit. Quarto. Quorum utantur col-
 loquijs & conuictu. Quidam enim incaute conuersantur
 cum uicinis hæreticis à quibus pedetentim corrumpuntur,
 Iuxta illud Apostoli, Quorum sermo serpit ut cancer. Item
 Corruptunt mores bonos colloquia mala. Quidam cum
 seditiosis & rerum nouarum cupidis, qui detrahunt superio-
 ribus, præsertim Ecclesiasticis, Quidam apud laicos con-
 queruntur contra Prælatos & Patronos suos quasi metant
 illi in ocio quod ipsi foris in labore & sudore seminant, et per
 hoc fiunt ingrati erga Patronos à quibus collatum habent
 beneficium, & absq; eorum collatione haberent nihil, Vnde
 reprehendantur in Euangelio, ubi eis dicitur. Amice non
 facio tibi iniuriam, Nonne ex denario conuenisti mecum?
 Tolle quod tuum est & uade, Quinto. Qua utuntur domi-
 familia, Quàmuis enim omni tempore illicita est fornicat-
 tio, nunctamen maxime grauis & scandalosa est in sacer-
 dotibus

Math. 7.
Ro. 14.

2. Timo. 2.
1. Cor. 15.

Math. 20.

dotibus qui concubinas domi alunt. In quorū odiū Hæretici ^{et} contra oēs Patrū sanctiones & contra Christi & Apostolorū exēpla ducūt, tanq̄ continere nō possint, contra illud Christi. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Item si quid petieritis patrē in nomine meo dabit uobis, Deserendæ sunt igitur concubinæ, & firma. Ade petendum est à Deo donum castitatis & dabitur nobis.

Mar. 9.
Ioh. 16.

De cura & officio pastoralī, Primo, Quales habeant Capellanos, ne forte sint Apostatæ hæretici qui populū seducunt. Secundo, Qualia sint curę onera, an habeāt Ecclesias filiales, & iustam cōpetentiam, unde possint onera sufferre. Iuxta illud Apostoli, Nemo stipendijs suis militat. Tertio, Quales habeant subditos, an intersint sacris in diebus festis & dominicis, an audiant alibi sermones hæreticorum, tales enim etsi de facto excōmunicati sunt, debent tamen prohiberi & publice denunciari, si non desistant, Paulus em̄ hæreticos deuitari iubet. Quarto, Qualis sit subditorū conuersatio, an sint ibi aliqui nunq̄ confitentes aut cōmunicantes, an sint susurriones & detractatores contra superiores, an sint qui prædicent in angulis, an qui scientes legere, hæreticorū libros prælegant uicinis. Tales em̄ ad superiores denunciari debent, ne paruum fermentum illud totam plebis massam corrumpat.

4. Puncta.

1. Cor. 9.

Tit. 3.

1. Cor. 5.

DE MODO VISITANDI

& Interrogandi.

Visitatores conuenit esse in officio publico, ut Officiales, Vicarios, Cōmissarios, Sigilliferos &c. quibus adiungi docet singulis binos Theologos, Fiscalē & Notariū, ut in una uisitatione mittantur personæ quatuor aut quinque, nempe Officialis, Duo Theologi aut unus cum Iurisperito Canonista, Fiscalis & Notarius. Qui omnes ad certum locum

Discussio
Parrochorū

M m cum

Instruct. Iohan. Cochi, pro Visitatoribus Catholicis.

cum publica commissione deputati, eueant uicinos Paro-
rochos & Cappellanos, quos medio iuramento de iuramento
interrogent & discutiant, & secundum qualitatem cuiuslibet
bet agant informando, corrigendo, hortando quantum po-
terunt, Grauiores excessus & incorrigibiles Clericos remit-
tant ad superiores, & tradant custodie, donec rescriptum ha-
beant à Principe quid cum ijs agendum sit. Et dum citatur
singuli, forsitan expediret, iniungi eis, ut unusquisque de pro-
prijs libris suis Catalogum aut registrum secum deferat, Ex
quo cito intelligent uisitatores, quale sit uniuscuiusque studiū
qualis opinio & secta. Aut si registro eorū non uideatur ha-
benda fides, poterit fiscalis ad singulos præmitti, qui apud
singulos describat librorum atque etiam familiæ inuentarium.
Ex quo certius intelligant uisitatores qualis sit unusquisque
domi. Qui enim in corde Lutherani sunt, non magnifac-
ciunt iuramenta, quorum medio interrogantur. Qui enim
uota & iuramenta Deo publice & sponte facta contemunt
& conculcant, longe facilius contemnent & nihili facient iu-
ramenta coacta quæ uisitatores præstare debeant. Expe-
dit igitur, ut alia quoque documenta quærantur uel inquisitio-
ne fiscalis per Inuentarios uel testificatione uicinatorum qui
integri & fide digni habentur.

Scripta Moguntia Apud S. Victorem Extra muros
Die 27. septembris, Anno 1532.